13

J. N. J.

DISSERTATIO ANATOMICA DE GLANDULA PINEALI LAPIDESCENTE,

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE SALZMANN,

Med. D. Anat. & Patholog. P. P. Ord. Capit. Thoman. Canon, Sui Ordinis h. t. Decano Spectabili,

DNO. PATRONO ATQUE PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIA COLENDO,

SOLENNI ET PLACIDÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOH. BAPTISTA KARCHER,

Selestadiensis.

Ad Diem 25. Mensis Novembr. M DCC XXXIII.

Hor. loc. sol.

ARGENTORATI,

Typis JOANNIS FRANCISCI LE ROUX, Almæ Universit. Cath. Typogr.


DEO,

PATRIÆ,

PARENTIBUS

ATQUE

AMICIS.



PRAELOQUIUM.

TOTO id die evenire videmus, ut magnitudine res æstimentur, nempè mole grandiora omnium oculos invitent, inque sui admirationem rapiant, quæ verò exigua sunt, súsque déque habeantur. *Miramur*, notante Plinio, *turrigeros elephantum humeros & truces in sublime jactas tigrium rapinas, leonum jubas.* Quod si verò corpora naturalia paulò attentiùs consideraverimus, deprehendemus naturam nullibi magis quàm in minimis totam esse, seu, quod aliàs dici assolet, Deum esse magnum in magnis, & maximum in minimis. Quod ipsum de homine verum esse nemo facile inficiabitur, qui, si cum Macrocosmo comparetur, mole quidem parvus dicendus est, nihilominùs Microcosmus seu mundi majoris epitome ab Antiquissimis

 appel-

appellatus; utpotè in quo infinita Creatoris Sapientia universam rerum naturam velut in imagine expressit. Idem luculentiùs elucescit è solerti innumerarum ejus partium scrutinio, quæ non solùm structurâ atque usu, sed & magnitudine multùm inter se discrepant. Harum quippè autopsia non obscurè comprobat, exiguis naturam machinis magna plerumque opera moliri, seu, ut *Senecæ* verba, quæ *Quæst. Natur.* de mundo appositè enunciavit, paululùm mutata nostra faciamus: *pusilla res homo est, nisi in illo, quod quærat, omnis homo habeat.* Proindè cum exiles etiam partes in corpore nostro parvi ducendæ non sint, quin potiùs magnâ attentione dignissimæ, non inutilem nos operam navaturos esse confidimus, Speciminis Academici loco de exiguâ illâ Glandulâ, ob figuram Pinealis dicta, pauca quædam in medium proferre. Cui labori qualicunque ut Divinum Numen benedicat, enixis ab eo precibus contendimus.

THESIS



THESIS I.



DE Glandula Pineali, ejuſque conſtitutione præternaturali dum quædam commentari animo conſtituimus, qualemcunque noſtrum laborem à conſideratione ejus anatomicâ ordiri fas eſt, eóque magis, quò magis mos hactenùs receptus obtinuit, ut de corporis humani viſcere, vel parte præternaturaliter conſtitutâ acturi deſcriptionem anatomicam qualemcunque præmittant, quem ordinem & nos ſecuturi de nomine pauca quædam prælibabimus. Glandula noſtra pinealis NOMEN accepit à ſimilitudine & figurâ, quam cum pini fructu turbinato communem habet, de quâ inferiùs plura dicemus. Græcis Κωνάριον vel etiam σῶμα Κωνοειδὲς, id eſt, corpus coniforme à coni figurâ appellatur. Veterum ſchola hanc partem æquè ac alias quaſdam obſcœno nomine indigitavit, eam Penem cerebri vocando, de quo non noſtrum, ſed *Malpighii Profeſſoris quondam Bononienſis* judicium allegare liceat, qui in *Exerc. Epiſt. de cerebro*, *templa*, inquit, *olim marmoribus diſtincta, auro, picturis, cæte-*

risque humani ingenii artificiis nitida & ditata construere solebant Ægyptii, horum tamen intima, post tot impensos labores ridiculum occupabat Numen, simia scilicet, hircus & cæpa, undè cessit in adagium: Ægyptium templum. Non absimile, ut sæpè per jocum inculcabat Andreas Marianus, æternæ memoriæ Præceptor, antiquiores Anatomici in celsiori animalis parte, capite scil. cerebrum substruxêre; Sensuum enim undique organis stipatum, osseo cranio, meningibus, vasorum mirabili inducto plexu, nobile diceres conditum templum: Si autem requiras, quid sub tot concamerationibus in tripode colendum occurrat, non tàm ridicula, quàm obscœna reperies, de quibus cum Hoffmanno meminisse pudet; nates enim, penem, anum, vulvam, & testes variis situatos locis admirandos finxêre, totumque negotium in lustrandis & describendis sinibus & rimulis, illis facessebat, neglectâ interim cerebri mole, & intestinâ parietum structurâ.

THES. II.

His de Etymologiâ breviter præmissis, non tàm DEFINITIONEM, quàm succinctam ejus descriptionem tradimus; est autem Glandula Pinealis pars cerebri glandulosa, retrò thalamos nervorum opticorum, ante nates & testes, in medio ferè cerebri locata, plexui choroideo firmiter connexa, exiguæ magnitudinis & substantiæ mollioris membranâ tenui cincta, seroque seu lymphæ sequestrandæ & transmittendæ dicata. Reperitur non solùm in homine & quadrupedibus, (in lepore mira est & visu lepida) quin etiam volucres & pisces eâdem præditi sunt: inde *Thom.*

VVilli-

VVillisius Professor Oxoniensis Anat. Cerebr. cap. 14. concludi posse asserit, ipsam necessarii cujusdam usûs esse. Illam quidem in sectione cerebri quandòque oculos fugere hinc indè observationes prostant, quarè non pauci sibi aliisque persuasum iverunt, hanc Glandulam omninò defecisse, quia frustrà ab illis quæsita fuit; Sic in *E. N. C. Dec. IV. ann.* 5. *observ.* 47. à Cummio annotatum legimus, in hydrocephalo nullum hujus glandulæ, ut & pituitariæ vestigium apparuisse. Conf. *Dec.* I. *ann.* 4. *&* 5. *obs.* 197. Item *Thom. Kerckringius Spicil. Anat. obs.* 35. in puero 14 annorum stulto quasi, semper somnolento & capite obtuso, Glandulæ Pinealis nè vestigium quidem naturam elaborâsse refert, additis his verbis: Se nihil nisi quod vidit & tetigit, aut alio sensu percepit, in medium proferre. Conf. *Boneti Sepulchr. Anat. l.* I. *Sect.* 10. *obs.* 5. Sed non sine ratione dubitatur, an reverà defuerit, vel an non inter dissecandum loco mota, aut cum plexu choroide ablata, aut aliâ de causâ deperdita fuerit; cui dubio ansam præbent iidem corporis humani Indagatores, qui ejus defectum nobis exhibent. *Matth. Paisenius E. N. C. Dec.* I. *ann.* 4. *&* 5. *obs.* 197. in hæc verba erumpit: nescio an errore dissecta aut ablata fuerit, & *D. Joh. Adam Kulmus Medicus & Anatomicus Gedanensis Solertissimus in Miscell. Curios. Uratislav. Tentam.* 22. *art.* 13. perhibet, se in scrutinio cadaveris in aquâ suffocati glandulam pinealem omni adhibitâ diligentiâ & cautelâ nullam intueri potuisse, membranâ verò crassiore, quâ partes vicinæ præter morem obductæ erant, remotâ, se eandem, sed extraordinariæ exili-

tatis

tatis deprehendiſſe; nec mirum, dudùm quippè *Thom. VVilliſius loc. cit.* advertit, illam in hydrope cerebri loco ſuo dimoveri, radicibus à nimio madore laxatis & non raro abruptis; cui accedit, quod *Ill. Lanciſius Diſſ. de Sede Cogit. Anim. p.m.* 308. eam nunquam deficere ſtatuit, & qui eam aliquandò planè defuiſſe ſcripſerunt, certè præ ſummâ, quæ interdùm occurrit, exiguitate, aut illam ſecantes abraſerunt, aut negligentes prætererierunt.

THES. III.

Sita eſt Glandula noſtra retrò Thalamos nervorum opticorum, interpoſita natibus & foramini, quod ad quartum ventriculum ducit, ſuper prominentiis nates modò memoratæ atque teſtes dictis, quibus præfixa eſt, quasque de re anatomicâ præclarè meritus *Winslous Expoſit. Anat. Tr. de capit.* §. 82. tuberculorum quadrigeminorum nomine inſignivit, in convalle communi, quibus corporibus à cerebro prodeuntibus innititur: vid. *Frid. Ruyſch. Theſ. Anat.* I. *pag.* 27. mucrone ſuo ſursùm ſeu potiùs antrorsùm ſpectans, baſi verò cerebri ſubſtantiæ incumbens; præponitur poſteriori quarti ventriculi meatui ſeu canali, qui ad ſinum principio ſpinalis medullæ inſculptum ducit ex mente *Joh. Veslingii Syntagm. Anat. cap.* 14. & poſticæ atque latiori fornicis parti appenditur, cinereæque ſubſtantiæ natibus intermediæ inſidet, atque unitur ſuprà foramen, quod Ani nomine donatum eſt, vaſique venoſo ad ſinum quartum tendenti ſupponitur. Prætereà illam peculiari ratione ei potiſſimùm tractui medullari, qui tranſverſus

ducitur

ducitur ante natiformes protuberantias continuari annotatum legimus in *Jll. Morgagni Adverſ. Anat. VI. animadv.* 9. Non verò in centro cerebri locata eſt, uti Ren. Carteſio videtur, utpotè cujus oculos præconcepta opinio fefellit, ut alio ſitam modo & loco eam videret, quàm alii peritiſſimi Profeſſores, quos inter eſt Nic. Steno, vid. *Hiſt. Morb. Vratislav. Collect. Tr. de experient, cap.* 2. quin potiùs magis in poſteriore cerebri parte reſidet, ſi longitudinem dicti viſceris ſpectes, magis verò centrum occupat ſi ejus latitudinem conſideres.

THES. IV.

E dictis aliquo modo patet glandulæ noſtræ connexio, quæ poſticæ fornicis parti appenditur, juxtà foramen ani nomine donatum, & cinereæ ſubſtantiæ natibus intermediæ inſidet, quibus ope diverſarum radicum fibroſarum jungitur, vid. *Ridley Anat. cap.* 9. quarum duæ ſunt ſubſtantiâ medullari præditæ, atque fibras exiles, nè dicam exiliſſimas referunt, quas alii Pedunculos appellant medullares& candicantes, quibus etiam infernæ thalamorum nervorum opticorum ſedi connexa eſt: illi propè glandulam ſibi propiores exiſtunt, versùs dictos thalamos verò magis à ſe invicem recedunt, vid. ſuprà laudatum *VVinsloum loc. cit.* hoſce pedunculos in brutis manifeſtiùs apparere autopſia docet. Potiſſimùm verò conſideranda eſt glandulæ hujus connexio cum plexu choroideo è tenui meninge & infinitis vaſculis ſanguiferis conflato, qui eam omninò obtegit atque occultat ita, ut non niſi remoto illo in curioſo-

B rum

rum oculos incurrat, & quam maximè à vena per medium plexum decurrente, cui reliquæ dicti plexûs venulæ ſanguinem ſuum infundunt, velut à fibula atque clavo ſuſpenditur, vel potiùs portionem plexûs choroidis ibi ſitam ſuſtentat. Huic plexui ita firmiter connectitur, ut ſaltem in homine facilè cum illo à cerebri ſubſtantiâ, cum quâ parùm cohæret, avellatur. Vid. *Diemerbr. Anat. lib. III. cap.* 6. quam ob rem in cerebri diſſectione, ni blandâ ille & cautâ manu removeatur, glandula vel ſimul abripitur, vel ſaltem locô dimovetur, uti omnes illi, qui cerebri diſſectioni & demonſtrationi operam ſuam dederunt, plus unâ vice experti ſunt, unde etiam eſt, quod quemadmodum ſuprà *§*. 2. innuimus, illam omninò deſuiſſe creditum eſt, quam cautelam etiam *Phil. Verheyen, Profeſſor quondam Lovanienſis* Profectoribus ſedulò inculcat, ſi illam debito in loco atque ſitu naturali curioſis eorum ſpectatoribus demonſtrare velint, quia leviùs cum cerebro cohæret. Pedunculi quippe illi, quorum modò mentionem fecimus, quoſque laudatus Winslous quandoque duplices eſſe aſſerit, atque ad teſtes pertinere perhibet, exiles ſunt atque molles, eique in ſitu continendæ longè impares; ut taceam, *Caſp. Bauhinum* ejus cohæſionem cum cerebri ſubſtantiâ prorsùs negare.

THES. V.

Magnitudinem ejus quod ſpectat, exigua illa eſt in ſubjectis humanis, in pleriſque brutis, imprimìs ove & vitulo major, habitâ etiam corporis proportione. vid. *E. N. C. Dec. II. ann.* 4. *obſ.* 156. uti in milvo & *Dec.*

II. ann.

II. ann. 2. obs. 29. in ove & vitulo. *Diemerbrœk Anat. lib. 3. cap. 6. & Dionis Anat. demonstr. VII. pag.* 518. addunt rationem, ob quam in hominibus adeò exilis sit, quia calentia eorum cerebra aperire nefas est, unde in inveteratis cadaveribus eam colliquatam vix apparere; id quod etiam ex analogiâ probant, quâ in recèns mactatis animalibus major quàm diù post observatur: addit *Th. Bartholinus Anat. lib. 3. cap. 6.* illam ferè annihilari seu colliquari, sicut camphoram aëri expositam, atque resolvi, sicut sal ab humido, frigido verò expositam flavescere: id quod *Thom. VVarthono Adenograph. cap.* 23. non omninò arridet, quin potiùs arbitratur, eam aëri expositam ideò imminui, quod liquorem, quem continebat, in venam proximam, cui annectitur, exoneret. Hoc autopsia probat, quod pisi vulgaris magnitudinem ordinariè exæquet, imò etiam minor sit. Vid. *Munnicks lib. de Re Anat. §.* 53. quin etiam, uti rectè judicat *Joh. Mar. Lancisius diss. cit.* ejus magnitudo multùm variat, id quod tùm de statu naturali, tùm, & quidem maximè de præternaturali intelligendum esse censemus. Extraordinariam & p. n. vid. *Act. Lips.* 1696. *pag.* 203. *Henr. Ridley Anat. Cerebr. cap.* 10. eam tumefactam & usque ad molem triplo majorem in hydropico pueri cujusdam strumosi cerebro vidit. *Joh. Bapt. Contulus Phil. ac Med. Doct. Bonon. Tr. de lap. podagr. & chiragr. in corp. human. product.* se eam magnitudine nucis avellanæ annotâsse perhibet, & fidem ferè superat, quod à Car. Drelincurtio sibi communicatum esse perhibet *Mangetus Theatr. Anat. lib.* IV. *cap.* 2. *pag.* 309.

nempe eam ad ovi gallinacei amplitudinem excrevisse. *Conf. infrà §. 13.* Uti autem quandòque ſolito major exiſtit, ita interdum juſto minor conſpicitur; & modò allegatus *Lanciſius diſſ. cit.* in cerebro balbutientis & fatui poſt mortem diſſecti, iſtam adeò exilem vidit aliiſque demonſtravit, ut cannabinum ſemen vix æquaret, cujus verbis hanc theſin obſignamus, quando ait: Glandula pinealis nunc magna, nunc puſilla eſt, imò paulò milii granum excedens.

THES. VI.

De FIGURA ut pauca quædam adjiciamus, eſt illa plerumque oblongior, &, uti ſupra dictum, nucleo pini turbinato ſimilis, quæ tamen aliquandò, teſte *Anton. Nuckio Epiſt. de Invent. Nov.* nunc magis pyriformis occurrit, ſæpè ad ſphæricam, non raro ad ovalem figuram accedit, cum quo apprimè conſentit accuratiſſimus corporis humani Scrutator *VVinslous l. c.* ejus figuram irregulariter rotundam aſſerens, & *Lanciſius loc. cit.* plerumque conicam, aliquandò ſphæricam ei figuram adſcribit. Durities ſeu potiùs mollities pariter differt, prouti lympha magìs minúſve ſcatet, qualis magna ſæpè copia ſacram Palladis arcem inundat, aut cerebrum hominis, è quo deſumpta eſt, expoſitum aëri, vel corruptioni magis obnoxium jam fuerit, tactui plus minúſve renititur. Hoc apud omnes in confeſſo eſt, hanc glandulam, de qua agimus, æquè mollem eſſe ac pleraſque alias partes in cerebro reperiundas, nempè in ſtatu naturali, quod ſi verò arenulas aut aliam ſubſtantiam duriuſculam in ſinu ſuo fovet, conjectu facile eſt, corpuſ-

puſcula hæc heterogenea majorem ipſi duritiem conciliare, quâ de re infrà plura dicemus. Uti autem modò recenſitæ ejus conditiones, ita pariter color quandoque diſcrepat, ille ſubcinereus ordinariè intuentibus ſe offert, nonnunquam magis ſubflavus, aut ſubluteus, pallidus, interdum ſubobſcurus eſt, nunc etiam magis nunc minùs illa rubet; de quo rurſùs allegare lubet *Ill. Lanciſ. Diſſ. cit.* qui conariam glandulam in ſuperficie ſubrubram mirum in modum ſanguineis punctis variegari animadvertit, quæ puncta vaſculis ſanguineis eorumque orificiis diſruptis vel diſciſſis procul dubio adſcribenda ſunt; pergit Idem, eam minimè præterquam in centro candicare, ſi per longum aut tranſverſim eam ſecueris, ſed remiſſè, rubere; unde non obſcurè patet, corticem ſeu exteriorem ejus partem è corticali, interiorem verò minorem è medullari cerebri ſubſtantiâ conflatam eſſe; qui & animadverſione dignum judicat, quod cum in reliquis cerebri partibus magna ſit inter diverſos homines ſimilitudo, contrà in corpore calloſo & glandula pineali magna diſſimilitudo deprehendatur, è quarum partium diſſimilitudine, concurrente ſanguinis craſi vel dyſcraſia, utplurimùm nativam hominum indolem exoriri quoad judicia, conſilia, deliberationes & ratiocinia ſuſpicatur. *Ill. Morgagnus l. c.* in mulieris cerebro eam ſubſtantiâ cerebri corticali, cui ſæpiùs fermè ſimilem conſpexit, longè albidiorem deprehendit. Naturâ ſuâ eſt opaca, ſed à lymphâ vel ſero ibidem contento & reſtagnante aliquatenus diaphana evadit. Hinc etiam in ſtrumoſi ſuprà citati ce-

 rebro

rebro hydropico iſtam ratione lymphæ gelatinoſæ contentæ transparentem planè extitiſſe obſervavit *Henr. Ridley loc. ſuprà cit.*

THES. VII.

SUBSTANTIAM glandulæ hujus quod attinet ex molli & ſpongioſâ cerebro vix duriore compoſitam illam eſſe, conſentiente autopſiâ, judicat *Joh. Munnicks de Re Anat. Theſ.* 53. & accuratiſſimus Anatomicus *VVinslous loc. cit.* §. 83. eam de corticali cerebri ſubſtantiâ multùm participare perhibet, præter quod aliquid medullaris habeat eo in loco, ubi pedunculi à thalamis nervorum opticorum exporrecti eidem adhærent. Intùs poroſa eſt & duriuſcula quidem, ſed citò flacceſcit, & in cadaveribus humanis non nihil inveteratis colliquata apparet, præprimìs in hydrope cerebri nimis flaccida reperitur. *E. N. C. Dec. III. ann.* 1. *obſ.* 153. quandoque etiam firmior eſt.Ittereà à vero non aberrare nobis videntur, qui illam vulgò ſic dictam glandulam eſſe, & quidem juxtà *Henr. Ridley Anat. cerebr. cap.* 10. ad conglobatarum vel lymphaticarum, ſecundùm alios verò ad conglomeratarum claſſem referendam eſſe aſſerunt, quia ope microſcopii viſa minimos glandulares utriculos exhibet. *Jac. Mangeto Theatr. Anat. Tom. II pag.* 309. annotante, ex mente Malpighii ejuſque Aſſeclarum è multis minutiſſimis glandulis conflata eſt. Et *Ill. Morgagnus loc. cit.* intra ipſam quosdam quaſi loculos & ſubſtantiam manifeſtè glanduloſam vidit. Non minùs Caſp. Bauh. Inſt. Anat. eam glandularum plexûs choroidei maximam dixit, adeóque à conditione cæterarum, quæ in hoc plexu occurrunt, non differre vult. Quibus

bus contrarius eſt *Frid. Ruyſchius Thes. Anat.* I. *pag.* 25. aſſerens, ſe frequentiore exploratione certiorem factum eſſe, dictam glandulam non ejuſdem conſtitutionis eſſe cum cerebro aut cerebello, neque cum cæteris corporis partibus glanduloſis convenire, neque emiſſario ductu gaudere, quem & glandulis hepatis denegat *Epiſt. de Fabr. Glandul. p.* 77. Nos horum ut & aliorum virorum arte anatomicâ præſtantiſſimorum controverſiam de glandulæ uti hujus, ita & quarumvis in corpore noſtro notione noſtram non facimus, utpotè quibus, ut verum fateamur, non omninò cognitum atque exploratum eſt, quid propriè ſit glandula, & in quo ab aliis corpuſculis minoribus vel rotundis vel ab hac figurâ deflectentibns ſpecificè differat, quarè nobis ſufficit eam uſitatâ hactenus appellatione glandulam nuncupare, Benevolum Lectorem ad *Cel. Ruyſchii Epiſt. de Fabr. Glandul. in corp. hum.* modó citat. & *Clar. Heiſteri Diſſ. de verâ Glandulæ Appellatione* remittentes. Interim verò autopſia comprobat hanc eandem è ſubjectorum idioſyncraſiâ multùm variari, ita ut nunc mollior, nunc durior exiſtat, nunc verò nullam glandulæ ſpeciem intuentibus offerat, uti *Hartmannus E. N. C. Dec. II. ann.* 10. *obſ.* 161. demonſtravit.

THES. VIII.

MEMBRANA inveſtitur tenuiſſimâ, quæ piæ matris & membranæ plexûs choroidei portio eſt, illâque veluti capſulâ includitur, nunc rubicundi, nunc ſublutei coloris, durâ verò matre deſtituitur, quam ob cauſam, *Ill. Lanciſius loc. cit.* ſolidè explicuit, hanc

qui-

quidem satis crassam esse vult Frid. Ruyschius cum glandulæ magnitudine comparatam, quod tamen non impedit, quò minùs in se spectata tenuis pronuntietur. Modò allegatam tunicam copiosa vasa sanguifera, nempè arteriolæ & venulæ perreptant, à quibus plures surculi exiles ipsam glandulam subeunt. Illas, quæ per superficiem excurrunt *lib. cit. fig* 5. expressit *Lancisius*, & materiâ coloratâ repletas exhibuit suprà citatus *Ruyschius Thes. Anat. X. pag.* 13. Arteriolæ à ramis arteriæ cervicalis pullulant, venulæ verò ex hoc corpore emergentes in sinum quartum desinunt. Ipsa hæc vascula piâ matre stipata maximè superiùs glandulam hanc obtegunt, atque ita involvunt, ut relictis illis ea in conspectum vix veniat, iisdem verò remotis sæpè simul auferatur. Neque nervis destituitur, quos Lancisius his verbis describit: Ab ipsius basi utrinque egredi animadvertes duos nervos insignes, quos nonnulli processus medullares appellârunt, hos, si transversim juxtà glandulæ basin incideris, pulchrum tibi spectaculum exhibebunt; videbis enim quasi duos ocellos circumducto subrubro cortice micare candicantes, quos per microscopium visos *loc. cit. fig.* 5. exhibet. Sylvius nerveos quosdam funiculos, & Warthonus duos ei tribuit, utrinque unum, ab ipso medullæ spinalis exortu oriundos sed exiles. Joh. de Muralto ab ejus parte anteriore & posteriore quatuor radices medullares in ejus substantiam absumptas in milvo vidit, quæ è pluribus filamentis nerveis in unum funiculum congregatis conflatæ sunt. Vid. *E N. C. Dec. II. ann.* 2. *obs.* 29. Verùm horum demonstratio-

ſtrationem difficilem judicat *Iſbr. Diemerbr. lib* 3 *cap. 6.* nec quemquam eo loco facilè vllos nervos dignoſcere, putatque ramulos minimarum arteriolarum tanquam exiles albicantes fibrillas in incumbentis fornicis natium teſtiumque, ut & glandulæ pinealis ſubſtantiam emiſſos Authores hoſce decepiſſe, ab iiſque ob colorem albicantem pro nervis venditatos eſſe. Cui contradicit *Lanciſius lib. cit.* neque fallaciam oculorum, inquiens, ſuſpicaberis, quod vidiſſe putemus nerveas quoque fibrillas per tenuem glandulæ pinealis meningem diſpergi, uti enim conſtat ſanguinea vaſa vix cranium ingreſſa variis nervis aſſociari, ita dubitare non debemus, quin, quò ipſa ſanguifera infrà cerebrum producuntur, nerveos pariter villos ſecum deferant, & quò pertingunt, inſinuent. Præterea & vaſa lymphatica in conario noſtro Idem annotavit, & *Covvper. Anat. Corp. Hum. App. tab VII. fig.* 31. adducentia è plexibus choroideis, abducentia verò per infundibulum ad glandulam pituitariam. Uti & *Ant. Nuck. Adenogr. cur.* lymphæductum ex illâ eodem modo, ac aliis glandulis exeuntem vidit.

THES. IX.

Quod tandem Usum Glandulæ noſtræ Pinealis attinet, varias de illo opiniones fovent Authores, quas velut in compendio nobis exhibet *Iſbr. Diemerbroek Anat. lib.* 3. *cap.* 6. & *Thom. Bartholinus Anat. l.* 3. *cap.* 6. Non minùs *Laurent. Donckers Tr. de morb. puncticul.* de nobilitate & officio ejus prolixè diſſerit, quorum præcipui huc redeunt. *Primò* hanc glandulam liquorem aliquem ſeroſum vel lymphaticum aut

excipere, aut à ventriculis cerebri acceptum à massâ sanguineâ sequestrare, adeòque simili cum aliis glandulis præprimis plexûs choroidei usui destinatam esse; cui opinioni adstipulantur *Franc. De le Boë, Sylvius Disp. Med. IV. §.* 35. qualis autem is sit, quemve usum habeat, valdè dubitat. Ejusdem opinionis quoque sunt *Raym. Viosanus. Nevrogr. Univ. lib. I. cap.* 17. *Nic. Hartsœcker Cont. Conject. Phys. Disc. V. §.* 79. cujus liquoris pars subtilior per laxos membranæ eam obducentis poros transfluit, & tertii ventriculi nec non infundibuli interjectu ad glandulam pituitariam mandatur, crassiore à lymphaticis aut venosis quibusdam vasis in quartum sinum desinentibus reabsorptâ. Conf. *Hist. Acad. Reg. Scient. quæ Parisiis est, anno* 1705. *pag.* 71. Ab his non multùm abludit *Th. VVarthoni* placitum, quo *Adenogr. cap.* 23. vult, eam præter humorem ab arteria ablatum, excrementitiam quoque humiditatem à nervulis suis prolectam auferre. *Secundò* glandulam conoidem in minimis utriculis suis non tam lympham, quin potiùs peculiare nervorum liquidum ope arteriolarum eò advectum à M. S. separare, ac proinde peculiarem pusilli cerebelli corticem constituere, quod placitum primus, quantùm novimus, in medium protulit *Ill. Lancisius Diss. supra cit.* proinde eam non injuriâ cerebellum ipsius cerebri appellari posse arbitratur. *Tertiò* conarium plexûs choroidei gratiâ conditum esse haud pauci contendunt, quem eo saltem in loco, in quo sita est, sustentat atque peculiari quadam ratione fulcit, inter quos recenseri meretur *Thom. VVillisius Anat. cerebr. cap* 14.

qui

qui annotavit, eâ in hydrope cerebri, radicibus à nimio madore laxatis & non rarò abruptis, loco ſuo dimotâ, plexum choroideum ab expanſione propriâ collabi ac inferiùs ſubſidere. Sic & *Joh. Riolanus Anthropogr. lib. IV. cap. 2.* item *Joh. Veslingius Syntagm. Anat. cap.* 14. illud ſive valvulæ, ſive firmandi plexûs choroidis munere defungi aſſerunt. *Quartò* præ aliis in vulgus ferè nota eſt Renat. Carteſii ejùſque Aſſeclarum, Meyſſoneri, Regii, Hogelandi, de la Forge & Craanii opinio, qui animæ rationalis ſedem in hac glandula velut in palatio collocant, eamque ob cauſam in medio ferè cerebri & ventriculorum ſitam eſſe volunt, ut, referente *Thom. Bartholino loc. cit. Primò* omnium objectorum motus excipere, *Secundò* ſenſibilia externa & omnes ideas, quæ à quinque ſenſibus proficiſcuntur, tanquam in centro apprehendere & diſcernere, atque dein ejus ope ſpiritus ad varios nervos mittere queat; ſicut in ſpeculo ſphærico exili omnia eo ordine recipiuntur, quæ vel in campo vel in muſeo ſunt. Quod placitum ſuum prolixè deduxit *Tr. de Homin. part.* 5. *& de Paſſion. Anim. Art.* 31. *&* 32. *& part. II. Epiſt.* 36. *&* 50. ubi ita infit: *rem accuratè examinando mihi videor evidenter cognoviſſe, partem eam corporis, in quâ anima exercet immediatè ſuas functiones, nullatenùs eſſe cor, neque etiam totum cerebrum, ſed ſolummodò maximè intimam partium ejus, quæ eſt certa quædam glandula admodùm parva, ſita in medio ſubſtantiæ ipſius, & ita ſuſpenſa ſuprà canalem, per quem ſpiritus cavitatum cerebri anteriorum communicationem habent cum ſpiritibus poſterioris, ut minimi*

 motus,

motus, qui in illâ ſunt, multùm poſſint ad mutandum curſum horum ſpirituum, & reciprocè minimæ mutationes, quæ accidunt curſui ſpirituum, multùm inſerviant mutandis motibus hujus glandulæ; rationem addit, quæ ipſum movit, ut crederet animam non poſſe habere in toto corpore alium aliquem locum præter hanc glandulam, in quo functiones ſuas immediatè exerceat, quæ eſt, quod non niſi unam & ſimplicem cogitationem unius rei eodem tempore habeamus, adeòque neceſſarium ſit, dari aliquem locum, in quo imágines, quæ à gemino ſenſu veniunt, in unum, antequam ad animam perveniant, convenire poſſint, nullam verò in cerebro partem, præter glandulam pinealem, unicam eſſe atque ſimplicem, ad quem uſum præſtandum conica ejus figura & non levis mobilitas ſymbolum ſuum conferre ipſi videtur; cui opinioni præ aliis patrocinatur *Joh. de Muralto in E. N. C. Dec. II. ann. 2. obſ.* 29. eâ inductus ratione, quod organo hoc læſo & ratio in homine lædatur, imò glandulam hanc vel tantillùm læſam derepentè & uno quaſi ictu hominem trucidare; addit experimentum ab Artheaud Chirurgo & Anatomico Lauſanenſi inſtitutum, quo ſtilum per medium cerebri ad glandulam uſque in canibus traduxit, quod verò & factu difficile & judicatu impoſſibile eſt. A Carteſio non multùm abludit *Henr. Regius Prax. Med. lib. I. cap.* 12. *Joh. Broen Med. Theor. pag.* 52. *& Theod. Craanen in Henr. Regii Prax. Med.* illam ſenſorium commune eſſe, inque eâ ſolâ non verò in ullâ aliâ corporis parte animam exiſtere ſtatuentes.

THES.

THES. X.

Quam de animæ ſede ſententiam non pauci convellere nec infelici cum ſucceſſu conati ſunt, ſcilicet *Thom. Bartholinus loc. cit.* multis argumentis contrarium ſtabilit; *Ducan. Tr. de Action Animal.* nec non *Thom. VVilliſius loc. cit.* quorum præcipua ſunt: quod 1. nimis exile corpus ſit hæc glandula, & ridiculum, animam uni eique tam exiguæ parti incarcerare velle. 2. In iſtâ idearum diverſarum confuſio fieret. 3. Species omnium ſenſuum huc non appellant, quia nervi ex organis ſenſoriis ad eam uſque non extenduntur. 4. Quod, uti Fontanus objicit, illa à cerebri centro longiùs abſit. 5. Nullus ductus ad nervos apertus aut cognitus abeat. 6. Hæc glandula in animalibus ratione deſtitutis major quàm in homine deprehendatur. 7. Abſonum ſit ſtatuere, animam rationalem in homine in conſimili diverſorio cum illâ brutorum hoſpitari. 8. Nunquam in eâ viſus ſit motus proprius, etſi vel maximè eſſet, hæc ejus mobilitas à ſtatu p. n. lapideſcente tolleretur 9. Ei tanquam glandulæ hæc prærogativa nullo modo competat. 10. Eadem ſine rationis aut aliarum animi functionum læſione magis vel minùs petrificata quandòque obſervetur. vid. *Diemerb. Anat. lib. III. cap. 6.* de quo ſtatu p. n. infrà dicetur. 11. Dubium quoque movet obſervatio, quæ extat in *Act. Anglic. ann.* 1667. *Menſ. Jun.* §. 3. quæque dogmati Carteſiano grave vulnus inflixiſſe perhibetur. Quas objectiones diluere omni ope conatur *Lud. de la Forge Not. ad part. 5. Cartes. Tr. de hom.* Tandem *Joh. Mar. Lanciſius lib. cit.* ut convellat præcipuum hujus

 Philo-

Philoſophi fundamentum: nempè conarium animæ ſedem eſſe, eò quod, cum reliquæ cerebri partes duplices ſint, hoc unicum atque ſimplex obſervetur, alium in cerebro locum, in quo conditiones a Carteſio requiſitæ luculentiùs quàm in conariâ ſuâ glandulâ conveniunt, aſſignat, nempè corpus calloſum cum fornice ſeptoque lucido. *Henr. Ridley Anat. cerebr. cap.* 10. fuſiùs explicat, quid occaſionem Carteſii errori præbuerit, rectèque judicat, ſublimem ejus philoſophiam meritiſſimèque mirabilem exiſtimatam, longè utiliorem indubitanter fuiſſe, ſi in diſſectionibus magis verſatus fuiſſet, minùs verò in inviſibilibus. Liceat addere judicium *Thom. Bartholini cent. IV. Epiſt.* 57. de memorato tractatu latum, nempè opus illud ingenioſius eſſe, quàm verius; Alius cenſet hunc Philoſophum in nullo alio ſcripto ſe hominem eſſe magis oſtendit, quàm in tractatu de homine. Idem ferè ſentiunt *Uratislaviens. Morb. Hiſt. Collect. Tr. de experient. cap.* 2. totum Carteſii hominem diverſum ab aliis hominibus eſſe lepidè judicantes. Rectè itaque Ant. Nuckius exequias hujus glandulæ ceu animæ ſedis cecinit, cum inſcriptione quâdam pro Epitaphio inſerviente, quam vid. *in Epiſt. Anat. de invent. nov. Adenogr. annexa*, non niſi lymphæ cerebri ſecretione eidem relictâ. Neque litem cuipiam movebimus, qui cum *Iſbr. Diemerbr. loc. cit.* uſum ejus ſatis ignotum, obſcurum & non niſi conjecturis incertiſque rationibus ſuffultum pronunciare velit, qui non inficiamur, cerebri quidem officium generale non latere, ſpecialem verò uniuſcujuſque partis, ſeu multiplicium

plicium protuberantiarum, cavitatum & hiatuum, processuum item & tractuum functionem, paucis exceptis, minùs cognitam esse atque perspectam.

THES. XI.

Quibus præmissis, ad institutum nostrum propiùs accedimus de statu glandulæ nostræ præternaturali quædam subjuncturi; non autem in genere de eo agere constituimus, neque ea, de quibus suprà jam dictum, repetere, nempè conarium quandóque vel re ipsâ deficere vel deesse videri, aut idem magnitudine excedere aut etiàm deficere, non minùs colorem aliquandò obscurum, vel magis cineritium, vel alium peregrinum intuentibus exhibere. Hujus paucis mentionem hic faciamus, istam glandulam quandòque sero infarctam, tenaci item ac viscosâ materiâ obsessam esse, adeò ut quasi sepulta ac vaginata in cadavere Horatii Albani visa fuerit. vid. *E. N. C. cent.* 3. & 4. *p.* 10. *app. Ill. Morgagnus Advers. Anat. VI. Animadv.* 9. eam æquè ac glandulas plexûs choroidis aquâ turgidam non modò ipse vidit, sed in Patavino etiam Theatro aliquoties ostendit, qualis in hydrope præprimìs cerebri conspicitur, non tam mali causa quàm effectûs. Putridam & penè consumptam conspexit *Ant. Nuckius Epist. Anat. de Invent. nov.* item *Theod. Craanen obs. in Henr. Regii Prax. Med.* eam in Catalepsi fortuito catarrho obsideri asserit. Verbo addimus, glandulam nostram plerisque morbis, quibus reliquæ expositæ sunt, haud rarò affici, quas *Thom. VVarthonus Adenogr. c.* 39. recensuit.

THES.

THES. XII.

Præ aliis verò vitiis ſæpiùs lapideſcit glandula noſtra, ſeu materiam calculoſam, tartaream aut tophaceam magis minùsve in ſinu ſuo gerit, ut nunc ſabuloſa tantùm, nunc lapidea magnâ ex parte appareat. Et hoc cum multis aliis glandulis commune habet. Quis enim, qui ſectionibus Anatomicis interfuit, neſcit, glandulas meſenterii æquè ac bronchiales, thyroideas item ejuſmodi ſubſtantiâ non rarò obſeſſas eſſe? de pituitariâ idem annotavit *Brunnerus in Schediaſm.* quod de illâ nobis reliquit, nempè eam in homine quandòque ſabulo eſſe conſperſam, uti tubulos urinarios Bellini in renibus; quin & totum cerebrum, quod fidem ſuperat, aut ſaltem potiorem ejus partem in bove petrefactam exhibet *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Paris.* 1703. *p.* 32. *& Act. p.* 314. *E. N. C. Dec. I. ann.* 1. *Obſ.* 26. *Th. Bartholinus Cent. VI. Hiſt. Anat.* 91. *item Cent. III. Epiſt.* 8. quod obſervatum dubium reddit Ant. Vallisnerius, aliamque & à cerebro diverſam fuiſſe concretionem fortuitam ſibi aliiſque perſuadet in *Exper. circa opinat. cerebr. petref.* In arteriis *Tulpius lib. II. Obſ.* 25. in proſtatis, utut rariùs, calculos. *Schenkius lib. IV. obſ. med.* 37. annotârunt. Non minùs materia calculoſa in variis cerebri locis reperta fuit, ſcilicet in dextro ejus ventriculo anteriore vid. *Theod. Kerckring. l. c. obſ.* 35. in nervis opticis *Blegny Zodiac. Med. Gall. ann.* 1. *Obſ.* 14. in poſtica capitis parte ſub ſuturâ lambdoide inter duram & piam matrem *Fabr. Hildanus Cent. I. obſ.* 11. Sic & *Joh. Schenckius* lapidem magnitudine & formâ mori coloris cinerei in

cere-

cerebro civis Lipſienſis à D. Pfeil inventum & pro ſingulari miraculo multis oſtenſum refert *lib. 1. obſ.* 81. ubi & alias ſimilium calculorum obſervationes allegavit. Similem ſubſtantiam in duræ matris facie internâ cerebrum comprimentem ſuperiore anno in Theatro noſtro Anatomico vidimus. Nemo autem, uti opinor, mirabitur aliquas corporis noſtri partes vel omninò vel ex parte lapideſcere, quicunque ſibi in memoriam revocat, totum corpus, præprimìs Embryonis à diuturnâ in utero vel extrà eundem morâ in lapideam ejusmodi ſubſtantiam tandem mutari, quod ipſum Hiſtoriæ Lithopædiorum, ſcilicet Muſſipontani à Laurent. Strauſſio & Ant. Deuſingio, item Senonenſis à Joh. Albaſio & Sim. Provancherio deſcriptorum ſatis ſuperque teſtantur. In glandulâ verò noſtrâ id ipſum frequentiùs contingere plures utique obſervationes fidem faciunt: nempè illam vel ex parte vel etiam ob exiguam ejus molem ex toto ferè lapideſcere, è quibus præcipuas in medium proferre inſtituti noſtri ratio poſtulat. *Ill. Morgagnus loc. ſupra cit.* iſtam ferè totam è duriuſculâ, ſed friabili materiâ conſtantem in viro quodam Bononienſi, & *Raym. Vioſanus Neurogr. lib. 1. cap.* 2. intrà illam exiguum corpus durum, ſubflavum, & non nihil aſperum ſæpiùs deprehenderunt, non minùs *Cel Ruyſchius Theſ. Anat. V. nr.* 36. tria corpuſcula in hac glandulâ reperta & ab aliis pro calculis habita, ſibi verò oſſicula viſa in muſeo rerum anatomicarum rariorum locupletiſſimo olim aſſervavit, & *tab.* 3. *fig.* 5. depingi curavit.

THES. XIII.

Plures alii corporis humani Scrutatores eundem statum præternaturalem obſervaverunt atque diverſimodè deſcripſerunt. *Edm. King in Act. Angl.* 1686. *Menſ. Decembr. pecul. relat. de glandul. pineal. petref.* eam firmam ac pulchram, probèque coloratam primo intuitu quidem, exactæ etiam figuræ ac menſuræ ordinariæ, ſed totam in lapidem verſam, membranâque involutam deprehendit, fateturque ſe nunquam ſimile quid inaudiſſe aut in cerebro diſſecto conſpexiſſe. *Joh. Bapt. Contulo Med. Bonon.* referente, *Berlingerius Gipſeus Profeſſ. ibidem* in cerebro ægri præternaturali capitis figurâ dotati ac è continuâ cephalalgiâ denati hanc glandulam totam petroſam vidit. *Cl. Veſti Obſ. Med. rar.* 1. lapillis viridibus refertam. *Ant. Nuckius Epiſt. Anat. de Invent. nov.* eam totam calculoſam, ſeu quatuordecim diverſæ magnitudinis & formæ calculis duriuſculis obſeſſam conſpexit, quibus glandulæ mobilitas, ſi mobilis unquam fuit, ſublata erat. *Stalp. van der VViel obſ. rar. cent. I. obſ.* 12. lapillum magnitudine grani cannabini exhibet, qui inſuper in ſchol. plures aliorum obſervationes ſimiles recenſuit. *Paul. Barbette Anat. Pract. lib. II. cap.* 2. non rarò calculos duos aut tres, imò quatuor aliquandò ſe vidiſſe notat, referente *Blaſio in Vesling. Anat. cap.* 14. *Sylvius* pariter diverſis vicibus arenulas & ſemel exiguum ſubrotundum calculum piſi quartam partem æquantem, qui plusquam dimidium glandulæ occupaverat, *Schenckius* alium plusquam dimidiæ glandulæ occupantem, *Dionis Anat. Demonſtr.* 7. exiguum quendam lapil-

lapillum ſe reperiſſe perhibent. *Regn. de Graaf de Succ. pancr. cap.* 7. in illâ plusquam vigeſies in hominibus tàm lento morbo, quàm violentâ morte extinctis, frequentiùs tamen in Galliâ quàm in Pataviâ, calculos ſe reperiſſe affirmat. Idem in *E. N. C. Dec. I. ann.* 1. *obſ.* 127. plurimas arenulas aſperas, quarum aliquæ calculi nomen propter magnitudinem merebantur, exhibuit, & *Cent. IX. & X. obſ.* 63. tres calculos minimos vel potiùs arenulas craſſiores ſubflavas, ſabulum ſcorbuticum vaſis urinariis adhærens referentes in nautâ invenit *Laubinus*, & *Job. à Meckern Obſ. Med. Chir. c.* 58. duos icone exprimi curavit. *Thom. Bartholinus Cent. III. Epiſt.* 97. aliquot arenulas duriſſimas & pellucidas in icterico intuitus eſt. Alia hujus rei exempla, nè hiſtorias plures cumulemus, hinc indè annotata legimus, præſertim in *Franck de Franckenau Diſſ. de Lapicidinâ Microcoſmicâ.* Præ aliis vero memorabile eſt, quod *Carol. Drelincurtius* Joh. Jac. Mangeto communicavit, quodque obſervaverat in virgine 20. circiter annorum, quæ poſtquam dirâ cephalæâ ſemeſtri diſcruciata fuiſſet, ac tandem occæcata, reliquisque deinceps ſenſibus orbata, in mediis planctibus mortem obierat, cui ſcilicet pinealis glandula non tantùm ſaxea fuit, ſed etiam ad ovi gallinacei amplitudinem excreverat; quâ ſuâ mole nervorum opticorum thalamos, nec non reliquos tandem nervos lethificè compreſſit. vid. *Manget. Theatr. Anat. L. IV. cap.* 2. *p.* 309. Hoc unicum addere liceat, quod anno ſuperiore 1730. hìc loci in Theatro Anatomico lapilli ſatis notabiles in duobus ſubjectis,

& anno præcedente in alio reperti fuerint, non multùm friabiles & magis minusve flavescentes. Plura concretionis hujus præternaturalis exempla à nobis proferri possent, nisi hæc jam allegata sufficere nobis persuasum esset.

THES. XIV.

Quâ jam ratione, & quibus de causis dura hæc & præternaturalis substantia in glandulâ pineali generetur, paucis annotandum erit. Quod dum facimus, non quidem ætiologiam hìc prolixam proferre, rationibusque & experimentis stabilire animus nobis est, utpotè quæ in pluribus numero scriptis occurrit, quâ nimirùm ratione calculi in renibus, in vesicâ urinariâ & vesiculâ felleâ, in liene, item in glandulis thyroideis, bronchialibus, mesenterii, & tantùm non omnibus ferè corporis partibus proveniant, quorum natales utique ducendi sunt à particulis salinis fixis atque terrestribus, accedentibus glutinosis & mucilaginosis, à reliquis fluidis sequestratis atque unitis, sibique invicem ob specificam gravitatem & homogeneitatem adeò arctè cohærentibus, ut in ejusmodi corpus durum coalescant. Cæterùm naturæ familiare esse solidum in liquido & durum è molli generare exemplis rarioribus Diss. de ossific. p. n. probatum ivimus. Quin potiùs aliqua de illis, qui in variis cerebri partibus generantur, memorabimus. Sanguis modò dictis particulis salinis & terrestribus imprægnatus, uti ad alias corporis partes, ita quoque ad cerebri confinia mediante cordis motu propellitur, ab eoque serositates, quibus imprægnatus est, ibidem sequestrantur, & quidem majori in copiâ,

quàm

quàm in multis aliis partibus, quæ vel in ipsâ substantiâ ejus hærent, vel in ventriculis maximè anterioribus colliguntur: prætereà nobilissimum hoc viscus, utut vasculis innumeris abundet, paulò frigidioris temperiei esse videtur, unde fit, ut dictæ serositates facilè inspissentur, & fluxilioribus secedentibus, salinæ atque terrestres in concretum lapideum coëant. Quia verò glandulam pinealem seri vel lymphæ secretioni inservire suprà adstruximus, & hic liquor particulas potissimùm salinas atque terrestres in sinu suo gerit, aliquo modo concipitur, quî fiat, ut non modò æquè facilè, uti in aliis cerebri partibus, sed & frequentiùs materia lapidea in eâdem generetur, haud rarò etiam parvum hoc corpusculum ob exilitatem, & si omnes ejus pori infarcti fuerint, totum quantum in duram ejusmodi substantiam immutetur. Dum autem hoc afferimus, lubentes fatemur, hanc de ætiologiâ phænomeni nostri conjecturam verò similem quidem esse, nobis verò & forsan etiam Ben. Lectori non in omnibus satisfacere, seu, ut clariùs loquamur, rationem sufficientem allegari vix posse, cur hæc glandula frequentiùs lapicidinam, utut exiguam veluti referat, quàm aliæ cerebri partes, quæ serositatibus non minùs copiosè irrigantur. Quod verò lympha in ventriculis cerebri anterioribus contenta non æquè concrescat, tum plexûs choroidei ibidem hospitantis calori à sanguine oriundo, tum etiam faciliori seri in poris & ductibus, quàm in cavitate coagulationi adscribendum esse videtur.

THES. XV.

Cum verò à statu hoc p. n. sæpiùs memorato varia utique symptomata oriantur, eorum quoquè men-

tio paucis facienda erit. Equidem Isbr. *Diemerbrœck loc. cit.* asserit, se ab istorum calculorum inventoribus nusquam observatum legisse, illis, in quorum cadaveribus tales calculi in hac glandula reperti sunt, in vitâ quicquam incommodi circà animales actiones contigisse, quod verò cum ratione pariter ac experientiâ pugnare videtur, quæ varia nobis exhibent. Quorum primum est dolor capitis intolerabilis & pertinacissimus, quali civis ille Lipsiensis à Joh. Schenkio memoratus per longum temporis spatium excruciatus fuerat, ita ut dies noctesque nullam prorsùs quietis partem capere potuerit; qui dolor fixus est, & cum gravitate totius capitis conjunctus, nullisque remediis cedit, referente *Dan. Sennerto Prax. libr.* 1. *p.* 18. Præterea æger, cujus *Edm. King in Actis Anglicanis* meminit, sibi de fatuitate, mentisque abalienatione quàm maximè metuebat, nec sine causâ, antequam enim moreretur, facultatibus rationalibus omninò destitutus apparuit, & titubans multoties humi prostratus fuit, aliaque peregit, quæ mentem minùs sanam esse demonstrârent. Non minùs virgo, cujus ex observatione Drelincurtii suprà §. 13. meminimus, non modò dirâ cephalæâ semestri afflicta, sed & occæcata ac reliquis tandem sensibus orbata fuit. Pariter *Theod. Kerkringius Med. Amst. Spicil. Anat. obs.* 35. puerum 14. annorum, in cujus, uti suprà memoravimus, anteriore cerebri ventriculo dextri lateris calculum reperit, nullam verò glandulam pinealem deprehendit, stultum quasi, semper somnolentum & capite obtuso fuisse recenset vid. *E. N. C. Dec. I. ann.* 1. *obs.* 29. Quæ sympto-

ſymptomata Carteſio ejuſque Aſſeclis non parùm patrocinari videntur, partim etiam non videntur, quodſi enim ſtatum ejus p. n. functiones rationales labefactare experientia comprobat,argumentum inde ſumunt confidentiùs ſtabiliendi, hanc glandulam utiquè animæ ſedem eſſe; in eo verò iiſdem contraria ſunt, quod ab hac conſtitutione p. n. dictæ functiones non omninò ſublatæ fuerint, ſed aliquatenùs viguerint, quod tamen fieri debuiſſet in glandulâ vel omninò vel magnâ ex parte petrificatâ. Equidem huic difficultati reſpondet *Lud. de la Forge Not. ad Cartes. Tr. de homin. part.* 5. his verbis *Fortaſſis adjiciat quis Bartholino patrocinaturus, Sylvium reperiſſe arenam lapillumque in iſtâ glandulâ: Sed nullius hoc eſt momenti, quippe illa non deſineret eſſe ſedes animæ, quamvis ipſius corpus degeneraret in lapidem, dummodò iſte lapis poros habeat ſatis amplos, ſufficientesque ad præbendum ſpiritibus tranſitum.* Et paulò poſt idem ſubjungit: *Quamvis nullum tale corpus proprium, quale eſt ipſius glandulæ, in glandulæ loco eſſet, atque nihil aliud eſſet niſi locus, in quem ſe exonerant arteriæ plexûs choroidis, nihilominùs tamen hic locus non deſineret eſſe ſedes animæ.* Quæ à modò allegato Forgio nimìs audacter pronunciari æquus Lector facilè judicabit.

THES. XVI.

Quamvis autem nullatenùs animæ ſedem in glandulâ noſtrâ collocemus, neque eam ſpirituum animalium receptaculum eſſe contendamus, neque aliam eidem prærogativam præeminentem concedamus, hoc tamen quivis intelligit, ſtatum ejus præternaturalem,

uti

uti quemcunque, ita & hunc, de quo actum à nobis hactenùs fuit, magnum œconomiæ animali præjudicium afferre. Neque huic noſtro aſſerto contrariatur cognita ejus & ſumma exilitas, quia enim cerebri, viſceris & nobiliſſimi & tenerrimi, partem atque veluti centrum conſtituit, à veritate alienum non eſt ſtatuere, conſtitutionem illius p. n. functiones ejuſdem, ſi non omnes, aliquas ſaltem magìs minùsve labefactare, prouti major vel minor ejus portio, aut tota in calculoſam vel lapideam ſubſtantiam induruit: poſito enim, iſtam non niſi ſero vel lymphæ à maſſâ ſanguineâ ſequeſtrandæ velificari, non poteſt non fieri, quin ceſſante hac ejus actione, vel ſanguinis in plexu choroideo vel lymphæ per iſtam motus aut ſequeſtratio plùs minùsve turbetur. Quin ſi præter duritiem inſuper extraordinariam in molem excrevit, eminentias vicinas, atque tractum medullarem transverſum hiſce antepoſitum non modò, ſed & nervos adeò comprimit, ut ſpirituum animalium influxu intercepto, funeſta ſymptomata ſuperveniant, uti id ſuprà recenſitæ obſervationes manifeſtant. Quarè optandum utique eſt, ut, quemadmodum mens ſana, ita & hæc glandula ſalva tectaque in corpore ſano nunquam non exiſtat.

FINIS.